

FLOS SUCCINI.

Mistis filicibus, spiritibusque humidis abstractis flos eleuatur.

(Enascitur & sponte natura rubeum quid, vel album, quod potest esse pro flore.)

Porro floribus affines sunt fauillæ fornacum puræ, & fuligines, quam postea repetita sublimatione, aut etiam magisterijs debeant fieri præstantiores: vt pompholyx, spodos tenuis, cadmia capnitis, fuligo picis, thuris, &c.

(In officinis metallicis dum excoquitur aut perficitur argentum, plumbum, æs, &c. Obiter varia sunt recrementa quorum quadam cineribus annumerantur, quadam floribus, quadam purgamentis crassis. Cum auri, argenti, plumbi, & venæ excoquantur, subuolat fauilla cinerea quæ est spodos tenuis, quam amplius preparant eluendo tantum; sed chymicus adiecta arena potest denuò sublimare. Cum argentum fulminatur ex plumbo; euadit lutea. Pompholyx ex cadmia flos est, & reuera cadmia seu lapis calaminaris cum sublimatur instar stibij pompholygem seu thutiam exhibet. Alias cum Orichalcum coquitur circa ollarum orificia consistit. Fuligo ex pinguibus est, & rectificatur elutione. Solent eam saccis ex fumo excipere, indeque decutere. Concrescit etiam in ollis, campanis, galeis, &c. Elutionum materia est aqua rosacea, vel aliqua ocularis, si ad oculorum vitia pro collyrio querantur: si ad vulnera, vlcera, exulcerationes, &c. aqua mellis, & alia conuenientes usurpantur.

Notauit Agricola florem bituminis Indici esse caphuram per sublimationem ex eo extractam: & verisimile id esse putat, quia dum succinum destillatur bombicina lana humida in alembicū posita talem odorem trahit. Sed dissentit historica veritas, neque tamen absurdum est ex bitumine tale quid elicere.

Est alioquin flos caphuræ supra descriptus pa. 332.

Christoph. Georgius de honestis in scholio ad Diarhodon Mesue ait: Gummi arboris esse, quod sublimetur & albescat: id quod verisimilius est. Videtur enim caphura pura essentia esse floribus accensenda.)

Vide Garziam, qui gummi arboris esse demonstrat.

TRACT. II. CAPVT XLI.

De turpetho.

Turpethum est coagulum specificum fixum. Quocirca etiam abstractis impuritatibus, & indomita volatilitate segregatis in imo vasorum consistit, & paratur maximè ex mineralibus, quorum essentia & vis specifica potissimum est in parte constante, aut saltem vt vsib⁹ artificiosis sit accommoda, in hanc formam redigitur.

Hinc duo eius emergunt modi; prior cum fit ex his quorum arcanum per naturam est in fixis, ita vt segreganda sint per sublimationē, aliasve operationes volatilia, & relicta essentia amplius exaltanda, veluti in venenatis, arsenico, cadmia metallica, & similibus: Posterior cum ex illis paratur quo-

ggg

rum